

veritatis cœlestis malitiosam ac blasphemam, prolabuntur, non salventur, sed damnentur, neque adeo ab æterno electi sed reprobati fuisse cognoscantur. Quam in rem legi merentur, quæ scripsit B. Feurbornius contra Piscatorem, Paræum, Philippum Cæsarem & Raphaelem Eglinium, Reformatos. Tom. VII. Disp. Giesl. Disp. XIII. §. 7. seq. p. 187. seq. & Disp. XVI. §. 194. seqq. p. 400. seqq.

XX. *Subiectum Quo* seu Inhæsiōnis, *ἡ ἡγορευσε* vitæ æternæ, est *Anima* rationalis ejusque facultates, *Intellectus & Voluntas*. Quatenus enim illa *perceptionem* spiritualis objecti importat, sensui externo gustus respondentem, eatenus ad intellectum pertinet; quatenus autem idem hic noster prægustus est rei maxime amabilis seu dulcis, quæ non simpliciter, sed cum *oblectatione* percipitur, imo ipsum *τὸ gustare* idem est, ac *suaviter affici* ex percepta seu cognita bonitate objecti, sic ad voluntatem utique recte refertur. Solet huc referri, partim quod David *Psal. XXXIV, 9. τὸ gustare & τὸ videre* conjunxit: quorum utrumque, ex intentione sacri scriptoris, sensu metaphorico acceptum, ad intellectum formaliter pertinet: quod Paulus *Rom. VIII, 23. prægustum beatitudinis* exponens, idem esse dicat, ac *spe salvum factum esse spem* autem esse motum facultatis appetentis, ipsiusque voluntatis sive appetitus rationalis, extra controversiam esse videtur.

XXI. Cæterum quæstio hic etiam oritur: an? & quomodo in prægustu illo beatitudinis etiam *Corpus hominis* afficiatur, ita ut *subiectum* prægustus illius, saltem *secundarium* & per participationem, dici queat? Sane huc referri a nonnemine solet, quod *Psal. LXXXIV, 3. dicitur: Cor meum & caro mea exultant ad Deum vivum*. Item quod *Proverb. XX, 27. legitur: Lucerna Jehovahæ est animus (vita) ejus, quæ investigat omnia interiora ventris: hoc nonnulli reddiderunt: a Deo exhilarari, vita est; & penetrat totum corpus*. Scilicet quod solatium Dei, dum halitum quasi vitæ cœlestis, & sensum gaudii spiritualis largitur, simul etiam cor nostrum, totumque corpus penetret: ac dum animæ bene est, corpori quoque bene sit: prout ex adverso corpus exhauriatur

riatur